QVAESTIONES

DE SEX. AVRELIO VICTORE

QVAS

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE


VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORVM CAVSA

SCRIPSIT

THEODORVS OPITZ

DRESDENSIS



LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXII

PRAEMONENDA.

Cum uni cuique, qui Sex. Aurelii Victoris libros vel tantum occasione data inspexerit, satis notum sit, quot et quantae de illis controversiae et fuerint et sint, non abs re visum est sententias adhuc propositas colligere quaestionemque omnem ad certum, qualiscunque erit, finem perducere. Totam autem quaestionem in quattuor divisi capita, quorum

primo de Victoris vita scriptisque in universum agetur,

altero de ratione, quae intercedat inter 'Caesares' et 'Epitomen',

tertio de codicibus Epitomae deque aetate qua esse scripta videatur,

quarto de libro qui est 'de viris illustribus'.

Quorum tamen capitum quartum in praesens omittendum duxi, olim eo rediturus.

In tota autem quaestione instituenda non pauca mihi praesto fuere subsidia. Primum enim virorum clarissimorum Gersdorfii Lipsiensis et de Heinemanni Guelferbytani benevolentia factum est, ut codices Epitomae Gudianos n. 84 et 131 anno 1871 Lipsiam missos ipse conferre possem. Tum solita comitate Guilelmus du Rieu Leidensis eiusdem libelli codicem Vossianum 96 initio huius anni huc transmisit. Porro Ministerii amplissimi Bavarici summae liberalitati debeo, quod codice Bambergensi H. E. III, 14 mense Martio huius anni domi mihi uti licebat. Cum autem comperissem Basiliae in bibliotheca universitatis collationes a Ludovico Rothio confectas exstare, F. Ritschelius et F. Nietzschius impetraverunt, ut hae quoque mihi praesto essent: unde notitiam codicum Epitomae Bernensium 104 et 120 et Parisini 4955 hausi. Praeterea Ludovicus Ieepius ea, quae olim ex codice Bambergensi supra memorato exscripsit, qua est liberalitate, mihi inspicienda permisit. Nuperrime autem Eduardus

Woelfflinus per litteras e doctrinae suae thesauro non pauca mecum communicavit. Quibus omnibus viris de opella mea magno opere meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

CAPVT I.

Sex. Aurelius Victor[1]) ex Africa originem duxit. Sexti praenomen ei fuisse testes sunt inscriptiones codicum Epitomae 'ex libris Sexti Aurelii Victoris' (vel 'Victorini') et Inscr. Neap. 2618 SEX. AVR. VICTOR, quam inscriptionem hunc ad scriptorem pertinere statim demonstrabitur. Victorem autem in Africa natum esse cum ex inscriptione codicis Bruxellensis[2]) apparet, quo uno liber de origine gentis Romanae et Caesares continentur: 'Victor Affer', tum ex loco illo imprimis illustri, quamvis corrupto, quo scriptor de vita sua ipse agit, Caes. 20, 5 (in vita Severi): 'quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus tenuique (?) indocto patre in haec tempora vitam praestiti studiis tantis honestiorem. quod equidem gentis nostrae reor, quae fato quodam bonorum parum' (sic pro 'parte' Casaub.) 'fecunda quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos' (fort. 'subvectos') 'habet: velut Severum ipsum, quo praeclarior in re publica fuit nemo.' Quo loco, quem unus Tiraboscius intellexisse videtur, procul dubio 'gentis nostrae' verba ad communem Severi et Aurelii originem spectant. Cum autem Septimius Afer sit, idem de Victore statuendum. Quae de eius origine sententia eo quoque adiuvatur,

---

[1]) De Victore praeter editorum praefationes omnino consulenda sunt quae exposuere Vossius de hist. lat. II, 8; Fabricius Bibl. lat. III p. 123 (Ern.); Bechmannus de Aur. Victore ed. II Altorf. a. 1726: (eius enim ille libellus est, non Molleri, ut cum aliis dicit Baehrius); Tiraboschi Storia della lett. It. II, 4, 5 p. 400; Schoellius Hist. abr. III p. 158; Meyerus Ann. ant. stud. a. 1835 p. 1043; Baehrius Hist. litt. rom. II[3] p. 186 et in Paulyi Encycl. real. VI, 2 p. 2583; Bernhardyus Hist. litt. rom.[4] p. 711; Teuffelius Hist. litt. rom. p. 857; Clintonus Fast. rom. I p. 439 et 443.

[2]) Qui post Schotti tempora per tria saecula deperditus ante hos fere XX annos Bruxellis a Mommseno repertus est: v. Roulez Bulletins de l'acad. Belg 1850 p. 261 sq.; Rothium in Iahnii Archivi vol XIX p. 314; Iordanum Hermae vol. III p. 390—95, quo iudice codex initio saec. XV scriptus est.

quod cum in Severi vita describenda multus est, tum Caes. 40, 19 in rebus Africanis, ubi Carthaginem 'terrarum decus' vocat. Eodem, quo haec sententia nititur, loco se dixit humili loco natum assiduis studiis operam dedisse. Quod — ut hoc statim praeripiam — saepe repetit eosque laudat qui litteris studuerunt, ut Caes. 11, 13 'mihi audienti multa legentique'; 8, 7 'hi omnes, quos paucis attigi, praecipueque Caesarum gens adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut' e. q. s.; 20, 2; 40, 13; 41, 26; 42, 4; neque raro comparatur vetus historia romana, ut Caes. 3, 14; 4, 15; 11, 12; 14, 2; 18, 1; 24, 8, saepius. Eodem pertinent, quae Caes. 33, 26 de historiae munere exponuntur.

Iam quaerentibus, quonam tempore Victor natus sit, non nulla praesto sunt, quae et ipse et alii tradidere. Quamquam enim plerumque significat Constantii tempora se vidisse vel potius videre, semel tamen de Constantino ut aequali loquitur: Caes. 40, 14 'memoria mea Constantinum .... ad usque astra votis omnium subvexere.' Mihique, si considero quae de magistratibus ab Aurelio gestis (v. p. 202 sq.) nota sunt, veri simile videtur sub fine potius, quam initio regni Constantini illum natum esse. Vnus autem exstat locus, quo scriptor Diocletianum quoque se vidisse dicere videtur: 'Caes. 39, 6 'compertum habeo humillimos quosque maxime ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione inmodicos esse. hinc Marius patrum memoria, hinc iste' (scil. Diocl.) 'nostra' e. q. s. Licet enim cogitare scriptorem non Marium Sullae aequalem, sed tyrannum intellegere: ut 'patrum' et 'nostra' proprie dicta sint. Quod tamen probabilitate caret. Marius enim cum imperium duorum tantum dierum (Caes. 33, 12) tenuerit, eius animus 'potentiae expers, tamquam inedia refecti insatiabilis' dici vix potuit. Itaque contendo alterum Marium, cui ne Caes. 33, 11 quidem favet, intellegendum illaque verba in universum accipienda esse. Cetera quae de aetate sua diserte tradit, haec sunt quae subieci:

Caes. 28, 2 'nostra aetate post mille centesimus (annus) consule Philippo excessit' = ann. 348.

Caes. 16, 12 'nostra aetate Nicomedia Cereali consule' (terrae motu constrata) = ann. 358: cf. Hieronymi Chron. p. 195 ed. Schoen.

Caes. 13, 6 'his annis suffectae vires Illyrico sunt, praefecto medente Anatolio' = ann. 359: cf. Ammian. 19, 11, 2.

Huc autem illud quoque pertinet, quod Caes. 41, 10 Con-

stantium 'imperatorem nostrum', 42, 5 'principem nostrum' vocat: cf. 34, 7 'Constantius (I) et Constantinus (I) atque imperatores nostri.' Aliis locis in universum loquitur, ut 'hac tempestate' Caes. 9, 12; 33, 13; 37, 5; 39, 29; 32; 44: quibus adde 'hodie habetur locus' Caes. 5, 17; 12, 2; 13, 8; 24, 1.

Aliorum autem scriptorum testimonium gravissimum est apud Ammianum 21, 10, 6: 'ubi Victorem apud Sirmium visum scriptorem historicum exindeque venire praeceptum Pannoniae secundae consularem praefecit' (i. e. Iulianus anno 361) 'et honoravit aenea statua, virum sobrietatis gratia aemulandum, multo post urbi praefectum.' Victorem autem Pannoniae inferioris legatum Augusti pro praetore consularem[3]) fuisse testis est etiam titulus Orellianus 3715: AVRELIO VICTORI XV VIRO SACR. FAC. LEG. AVGG. PRO. PR. PROV. PANN. INF. PATRON. R. P. H. V. D. D.[4]) i. e. 'honore uso. decreto decurionum'. Inde autem, quod legatus consularis fuit, non evincitur antea consulatum eum gessisse. Non enim raro Romani ante consulatum consulares fuere, ut Q. Clodius Hermogenianus[5]) consularis Campaniae, proconsul Africae, praef. urbi, praef. praet., consul ordinarius appellatur: idemque cadit in Censorini honorum ordinem apud Trebell. Poll. XXX tyr. 33, 1. Neque in fastis ante ann. 361 Victoris consulis mentio fit: ita ut, si modo omnino consul, honorarius fuerit. Quod ne per aetatem quidem eius sat probabile est. Anni autem 369 consules sunt Valentinianus nepos et Victor: quem ipsum alii contenderunt hunc esse scriptorem, ut Schottus, Vossius, Baehrius[6]), alii ut Tiraboscius potius Iuliani esse ducem quendam voluerunt (de quo v. Amm. 24, 1, 2; Zos. 3, 13, 6 et saepius). Quod ut diiudicemus, revertendum est ad Amm. l. l., ubi multo post praefectus urbi fuisse Victor dicitur. Quo magistratu functus est anno 389[7]), fitque eius mentio I. R. Neap.

---

[3]) Id enim sibi vult 'consularem' vox, quae pro accuratiore legationis titulo posita est etiam Or. 3666—68. Pannoniae autem legatos Augustorum consulares praefuisse docet Enchirid. Beckero-Marqu. III, 1 p. 103 cum adn. 645; p. 239; 297.

[4]) Eadem munera coniuncta sunt Or. 3554.

[5]) v. Corsini 'Series praef. urbis' p. 247.

[6]) Qui tamen inscriptionis I. R. N. 2618 verba AVR. VICTOR V. C. iniuria per 'vir consularis' explicat, cum significent potius 'vir clarissimus': v. Henzeni indices p. 219.

[7]) v. Corsinium p. 287. Quo iure Baehrius anno 379 Aurelium praefectum urbi fuisse dicat, prorsus me fugit.

2618 ... IERVM PRINCIPVM CLEMENTIAM .... NCTITVDINEM MVNIFICENTIAM SVPERGRESSO D. N. FL. THEODOSIO PIO VICTORI SEMPER AVGVSTO SEX. AVR. VICTOR V. C. VRBI PRAEF. IVDEX SACRARVM COGNITIONVM D. N. M. Q. E i. e. 'devotus numini maiestatique eius'. Iam si constaret homines consulatu functos solos ad praefecturam urbis esse provectos, non sine magna probabilitate contenderemus scriptorem anno 369 consulem fuisse; sed cum, si Corsinio praef. p. XXI—XXVII fides habenda est, non pauci post praefecturam demum consulatum gesserint, ut Olybrius, qui praefectus fuit a. 368, 369, 370, consul 379[8]), alii autem procul dubio post consulatum fuerint praefecti, ut L. Lamia[9]) cos. a. 3, praef. a. 32, rursus alii consulatu et praefectura eodem anno functi sint, ut a. 334 Anicius Paulinus[10]), mea quidem sententia definiri nequit, num consul anni 369 Victor idem sit atque Caesarum scriptor. Quo autem anno mortuus sit Aurelius, certius dicere non licet quam quo sit natus.

Fidei christianae Victorem addictum fuisse suo iure negavere in primis Schottus, Grunerus, Teuffelius. Id enim vel inde apparet, quod prodigiis oraculisque magnam fidem habet eaque sat copiose describere solet, ut Caes. 28, 3—9; 38, 4; 41, 7; 14; 16; item e 39, 45 'veterrimae religiones castissime curatae', quae verba Grunerus bene monet ad ea pertinere, quae sub Diocletiano religionis christianae tollendae causa fiebant. Nec minus huic sententiae hi loci favent: Caes. 39, 29 'Valentem ut parentem seu dei magni suspiciebant modo'; 40, 15 'haud multum abesset deo'; 41, 4. Sed vix quisquam Grunero assentiatur, qui Caes. 41, 5 verba 'Licinio ne insontium quidem ac nobilium philosophorum servili more cruciatus adhibiti modum fecere' ad christianos pertinere dicit indeque concludit Victorem eis quodam modo favisse.

Quae autem de natura rerum deque re publica sentiat, aliquoties ipse significavit. Ea tamen omnia sat superque docent eius ingenium magno opere excultum non fuisse. Ita quasi summam naturae legem sic exponit Caes. 35, 13: 'quod factum praecipue edocuit cuncta in orbis modo verti, nihilque accidere quod rursum

---

8) v. Cors. praef. p. XXIII et p. 247.
9) v. eundem p. 36.
10) v. eundem p. 185 et titulos Orellianos 1081. 1082.

naturae vis ferre nequeat aevi spatio.' Neque eximiam rei publicae peritiam produnt, quae legimus Caes. 39, 7: 'quo mihi mirum videtur nobilitati plcrosque superbiam dare: quae gentis patriciae memor, molestiarum quis agitur, remedio eminere paululum iuris' (sic pro 'pluris' Maehlyus[11]) 'habet'. Tum saepe de rei publicae morumque statu conqueritur: quode cf. Caes. 20, 13; 24, 9—11; 28, 9; 33, 23; 37, 5—7. Plerumque autem delectatur sententiis tritissimis, quas partim quasi vitae usu a se ipso compertas significat, ut Caes. 5, 3 'qua re satis compertum neque aevum impedimento virtuti esse' e. q. s., item 11, 13; 19, 3; 39, 5; 27; 40, 13; partim nullo prooemio addito profert, ut Caes. 4, 1 'quippe stolidorum ingenia proinde agunt, uti monitores sunt', quo adde 3, 5—6; 13, 7; 20, 31; 34, 6; 38, 5; 40, 29.

Nunc de anno, quo Caesares (Originem enim, Viros illustres, Epitomen hic omitto, quippe quos libros nunc nemo ab Aurelio profectos esse contendat) scripti videantur, breviter agendum est. Narrantur hoc libro res gestae inde ab Augusto 'usque ad consulatum X Constantii Augusti et Iuliani Caesaris III' (sic praebet inscriptio codicis Bruxellensis, quae a scriptore ipso profecta videtur, cum veri prorsus dissimile sit librarium aliquem tale quiddam addidisse), vel usque ad XXIII Constantii annum (Caes. 42, 20) i. e. annum 360[12]). Eodemque anno Caesares esse conscriptos contendo. Primum enim nisi hac sententia probata, quid sibi velint verba Caes. 42, 20 'Constantius annos XXIII Augustum imperium regens, dum externis motibus modo civilibus exercetur, aegre ab armis abest', nemo intellegat. Constantius enim XXIV annos regnavit. Atque inde, quod illo etiam tum regnante scripsit Victor, explicandum est, quod et Constantius toties 'noster imperator' vocatur (v. p. 201 sq.) et res paululum in eius favorem auctae narrantur: ut ea, quae 42, 5 et 23 de eius eloquentia exponuntur, eis multo inferiora sunt quae Ep. 42, 18 leguntur: 'facundiae cupidus, quam cum assequi tarditate ingenii non posset, aliis invidebat.' Tum 42, 17 Iuliani mentio fit non solum parum honorifica, sed laus fere omnis Constantio tribuitur: 'Iulianum Caesarem cognatione acceptum sibi Transalpinis praefecit: isque nationes feras brevi subegit, captis famosis

[11]) in Nov. Annal. phil. vol. LXXI p. 264 sqq., ubi non paucos Caesarum locos sanavit.

[12]) cf. Kleinium in Diar. ant. stud. a. 1841 p. 1329.

regibus: quae quamquam vi eius, fortuna principis tamen et consilio accidere.' Si autem illo tempore Iulianus a militibus iam esset Augustus appellatus, aliis verbis Aurelius uteretur. Ad quam sententiam firmandam illud quoque facit, quod in inscriptione codicis supra memorati Iulianus disertis verbis 'Caesar' vocatur, Constantius autem 'Augustus'. Cum autem iam ineunte fere hieme anni 360 (Zos. 3, 9) Iulianus Augustus factus, aestate autem proximi anni (ibid. 3, 10) adversus Constantium profectus sit, apparet Caesares medio fere anno 360 scriptos esse. Iam vero ne quis obiciat haec Iuliano mortuo — hoc enim imperante talia vix dixerit quisquam — esse scripta, ea obstat ratio, quam inter Iulianum et Victorem intercedere vidimus. Victorem enim, qui, postquam anno 361 Sirmii Iuliano innotuit, ab illo ad Pannoniae praefecturam provectus est, tam inreverenter Iuliani res enarrasse vix crediderim. Itaque anno 360 Caesares scripti sunt. Quae sententia eo quoque confirmatur, quod 20, 5 in narranda vita sua de magistratibus prorsus tacet, quippe quos postea demum gesserit.

In codice Bruxellensi Caesares sic inscripti sunt: 'Aurelii Victoris historiae abbreviatae, ab Augusto Octaviano id est a fine Titi Livi usque ad consulatum X Constantii Augusti et Iuliani Caesaris III'. Quorum verborum pars posterior quamquam Aurelio tribuenda videbatur, tamen 'historiae abbreviatae' illum libellum suum inscripsisse nemo contendet: (vide de hoc infra p. 210). Itaque ad testimonia veterum recurrendum est, quorum antiquissimum est Hieronymi epist. ad Paulum Senem Concordiae XXI[13]) (Op. ed. Vall. I p. 24 B): 'et ne putes modica esse, quae deprecor, margaritam de evangelio postularis . . . . . scilicet commentarios Fortunatiani et propter notitiam persecutorum Aurelii Victoris historiam simulque epistulas Novatiani.' Cum autem de Victore Vitensi, qui saeculo V historiam persecutionis Africanae[14]) scripsit, cogitari nequeat, apparet Victoris Caesares illum petiisse: unde persecutorum, i. e. eorum imperatorum qui Christianos persecuti sunt, notitiam commodissime haurire poterat, quamvis Aurelius de ipsis persecutionibus taceret. Ac re vera Hieronymum Victore usum esse constare videtur: quae enim ille p. 177 de

[13]) Quae anno 374 scripta est auctore Mommseno 'die Quellen des Hieronymus' p. 683.

[14]) Sic enim librum inscribendum esse docet Eyssenhardtus Hermae vol. II p. 319 et praef. ad Hist. misc. p. V.

Caracallae nomine tradit, e Caes. 21, 1 hausta esse contendit Mommsenus l. l. Tum Victorem laudat Paulus Diaconus de gest. Lang. II, 18 (Rer. Ital. script. ed. Muratori I p. 432): 'sunt qui Alpes Cottias et Appeninas unam dicant esse provinciam: sed hos Victoris[15]) revincit historia, quae Alpes Cottias per se provinciam appellat'. Quod pertinet ad Caes. 5, 2 (= Ep. 5, 4). Tertius his accedit Lydus de magistratibus 3, 7 (p. 200, 11 ed. Bekk.): ἔνθεν σιτῶναι οὓς Οὐίκτωρ ὁ ἱστορικὸς ἐν τῇ ἱστορίᾳ τῶν ἐμφυλίων φρουμενταρίους οἶδε τὸ πρὶν ὀνομασθῆναι, ὅτι τῆς τοῦ παλατίου εὐθηνίας τὸ πρὶν ἐφρόντισον. Quod pertinet ad 39, 44. Vides ne his quidem testimoniis certum quendam titulum tradi, nisi forte e Lydo conicere licet Aurelii librum 'historia Caesarum' inscriptum fuisse, additis verbis 'ab Octaviano Aug.' e. q. s. vel similibus.

Hic statim addenda videntur, quae de Victore iuniore vel Victorino, qui epitomen composuerit, quidam somniarunt, ut Vossius[16]), Schoellius[17]), Baehrius[18]), Bernhardyus[19]). E quibus Vossius eo progressus est, ut prorsus arbitratu suo I. R. Neap. titulum 2618 et Pauli locum ad Victorem iuniorem traheret. Sed haec omnia artificia corruunt, si Epitomae inscriptionem, unde tota res profecta est, diligentius inspexerimus[20]). Praebet autem Gudianus 84 codex optimus: 'incipit libellus de vita et moribus imperatorum breviatus ex libris SEX. AVR. VICTOR a Caesare Augusto usque ad Theodosium' (omnia tamen haec litteris maiusculis), prorsusque eadem Gudianus 131, similia ceteri produnt, nisi quod Bernensis 104, Augustodunensis, Vossianus 96 pro 'Victoris' habent 'Victorini'. Quod nomen e VICTOR ortum esse perspexit iam Arntzenus. In omnibus autem codicibus cum Epitome e libris Victoris (vel Victorini) excerpta dicatur, apparet excerptoris ne mentionem quidem fieri.

In codice Bruxellensi Caesares antecedunt libelli 'de origine gentis Romanae' et 'de viris illustribus' hac praemissa inscriptione[21]):

---

[15]) Ita enim haud dubie editionum scriptura 'Victorini' e codicibus corrigenda est.

[16]) II, 15. [17]) III p. 171. [18]) Encycl. VI, 2 p. 2584. [19]) p. 711.

[20]) Quod iam intellexerunt Arntzenus praef. p. VIII et Grunerus praef. p. IX.

[21]) v. Iordanum Hermae vol. III p. 395.

'Aurelii Victoris historiae abbreviatae: ab Augusto Octaviano id est a fine Titi Livi usque ad consulatum decimum Constantii Augusti et Iuliani Caesaris tertium. Incipiunt feliciter. origo gentis romanae a Iano et Saturno conditoribus per succedentes sibimet reges usque ad consulatum decimum Constantii, digesta ex auctoribus Verrio Flacco, Antiate (ut quidem idem Verrius maluit dicere, quam Antia), tum ex annalibus pontificum, Cincio, Egnatio, Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Caesare, Tuberone atque ex omni priscorum historia. proinde ut quisque neotericorum asseveravit, hoc est et Livius et Victor Affer.'

Quae inscriptio praeter ea verba, quae supra p. 204 Aurelio ipsi vindicavimus, non est ab aliquo librario profecta, sed e scriptore libelli de origine gentis Romanae ipso, quem ego cum Iordano[22]) grammaticum saeculi V fuisse existimo. Cum enim ex eis scriptoribus, qui in inscriptione commemorantur, in Origine ipsa non commemorentur Verrius Flaccus, Veratius, Varro, neque ullum in ea vestigium verborum 'ut quidem idem Verrius' e. q. s. exstet, additamenta illa alicuius librarii esse nequeunt, cui Veratii potissimum, tam obscuri hominis, notitiam nemo tribuet; optime autem eadem in tenorem totius libelli quadrant. Quae autem sub fine leguntur 'proinde ut quisque neotericorum asseveravit, hoc est et Livius et Victor Affer', recte explicavit Mommsenus[23]). Livii enim nomine significatur liber de viris illustribus, qui in Bruxellensi Originem sequitur, Victoris autem ipsi Caesares. Prior autem libellus Livii nomen etiam Or. 23, 7 prae se fert, ubi verbis 'sed horum omnium opinionibus diversis repugnat nostrae memoriae proclamans historia Liviana' ea ipsa de Roma condita sententia profertur, quae isto libro traditur. Nam utut de illis, quae sunt 'nostrae memoriae proclamans', iudicamus, quae ego cum Grunero pro glossemate habeo, certe verba 'historia Liviana' ad Ill. 1, 4 nos ducunt, quippe cum in Bruxellensi Origo et Viri illustres in unum coniuncta sint, ita quidem ut Ill. 1, 1—4 (usque ad 'civitatem condiderunt') prorsus omittantur:

Or. 23, 6: sed horum omnium opinionibus diversis repugnat historia Liviana, quae testatur, quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam

Ill. (in ceteris codd.) 1, 1—4: Procas rex Albanorum . . . . . . ipsi pastoribus adunatis civitatem condiderunt, quam Romulus augurio vic-

22) Hermae vol. III p. 397.
23) 'Die Chronik des Cassiodorus' p. 551.

vocavit: cumque muniret moenibus, edixit ne quis vallum transiliret; quod Remus irridens transilivit et a Celere centurione rutro fertur occisus.	tor Romam vocavit. et ut eam prius legibus muniret quam moenibus, edixit ne quis vallum transiliret, quod Remus irridens transilivit et a Celere centurione rutro fertur occisus.

Hinc apparet in Bruxellensi unum utroque opusculo librum effici, indeque explicatur libelli de viris illustribus haec subscriptio: FINIT PRIMA PARS : HVIVS : OPERIS : INCIPIT : SECVNDA : AVRELII : VICTOR. Itaque altera pars unum Victorem continet. Neque tamen ex illa subscriptione id consequitur quod quidam[24]) inde concluserunt: Viros illustres Victori tribui. Immo potius contrarium fit: quando hic libellus item ut Origo ἀνωνύμως traditus est[25]). Alia sane res esset, si legeretur 'incipit altera Aurelii Victoris'. Sed facile apparet 'Aurelii' vocem esse corruptam, scriptum autem fuisse 'incipit secunda. Aurelius Victor.' Quae cum ita sint, hi tres libelli non casu ab aliquo librario coniuncti sunt, sed a scriptore libri de origine gentis Romanae, qui Viros illustres et Caesares consociavit eisque breviarium veterrimae historiae Romanae praemisit, ita ut his tribus libris tota Romanorum historia inde a primordiis usque ad annum 360 contineatur: id quod inscriptionis verbis non sat accuratis significatur: 'o. g. R. a Iano . . . . . . usque ad consulatum X Constantii.' Quare non male Mommsenus l. l. hos tres libellos 'das Corpus' (sc. historiae romanae) 'das unter dem Namen des Victor geht' appellat.

CAPVT II.

Ad eam nunc quaestionem accedimus, quae huc usque a viris doctis tangebatur potius quam tractata est: rationem dico, quae intercedat inter Victoris Caesares et Epitomen de Caesaribus. Qua de re non levis est dissensio. Cum enim neminem fugerit multa in utroque libro eisdem fere verbis tradi, multa autem

---

[24]) Vt Grunerus, Fabricius, Schoellius. Ceterum totam hanc quaestionem tetigerunt potius quam persecuti sunt Mommsenus l. s. s., Maehlyus in Iahnii Archivi t. XIX p. 316, Iordanus Musei Rhenani t. XVIII p. 589 idemque Hermae t. III p. 395.

[25]) Livii enim nomen illa aetate nihil aliud significat, nisi historiam liberae rei publicae: cf. Mommsenum l. s. s.

legi in Epitome, quorum in Caesaribus ne mentio quidem fiat, alia rursus in Caesaribus, de quibus taceat Epitome, plerique rem ita sibi informarunt, ut Epitomen sic e Caesaribus esse excerptam dicerent, ut scriptor, quisquis fuerit, multa de suo addiderit vel correxerit. Tum alii exstiterunt, qui contenderent Epitomen et Caesares excerptos esse ex ampliore quodam opere, quod de eodem argumento Victor scripserit, ut Bechmannus[1]) et Vlricius[2]). Tertia porro sententia eorum est, qui inter utrumque librum ullam omnino rationem intercedere negent, ut Bernhardyus[3]) et Rothius[4]).

Alii satis habuere de singulis locis quid sentirent significasse, ut Mommsenus[5]), qui recte monet de origine Caracallae cognominis inter utrumque esse dissensionem quandam: ita ut Victor Caes. 21, 1 consentiat cum Spartiano Carac. 9, Ep. 21, 2 autem cum Dione.

Plurima, quamvis non admodum multum, de hac quaestione Maehlyus[6]) commentatus est. Qui cum recte intellexerit permulta Caesaribus et Epitomae esse communia, primus observavit — id quod maximi est momenti — eum consensum inde a vita Domitiani omnino non comparere, si unum[7]) locum excipias. Cuius tamen rei quae sit causa atque uter utrum exscripserit, se nescire profitetur.

Epitomen supra p. 206 vidimus in codicibus sic inscribi: 'libellus de vita et moribus imperatorum, breviatus ex libris Sex. Aurelii Victoris.' Vnde apparet aut scriptorem ipsum, si ab eo is titulus profectus est, significare voluisse Victoris librum a se excerptum esse, aut alium quemlibet hoc sibi persuasisse. Quominus autem nos hanc sententiam continuo amplectamur, non nulla obstant. Primo enim oculorum obtutu videmus non pauca Epitomae capita multo ampliora esse eis, e quibus breviata dicuntur. Ita Caes. 1 in editione Bipontina spatium vix unius paginae, contra quattuor fere paginarum Ep. 1 occupat; Caes. 10

[1]) l. s. s. § XIV.

[2]) 'Charakteristik der antiken Historiographie' p. 156 adn. 4.

[3]) l. s. s. p. 711.

[4]) Iahnii Archivi t. XIX p. 315. Qui quo iure contenderit id e Lydi loco supra p. 206 allato apparere, me fugit.

[5]) 'Quellen des Hieronymus' p. 683.

[6]) Iahnii Archivi l. s. s. p. 317.

[7]) Caes. 40, 2 et Ep. 41, 2. Quo de loco aliter iudicandum esse infra demonstrabo circa finem huius capitis (ad Caes. c. XLI).

ne dimidiam quidem partem spatii quod Ep. 10; Caes. 12 vix quartam partem eius quod Ep. 12. Hinc igitur evincitur aliter esse Victorem excerptum ab epitomatore atque ab Iustino Trogum, Valerium Maximum ab Iulio Paride et Nepotiano. Tum singulas vitas si inspicimus, certo cognoscimus non tota capita Victoris excerpsisse epitomatorem rebusque aliunde desumptis auxisse, quem ad modum non raro scriptor Historiae miscellae Eutropium Orosii vel Epitomae verbis illustrat, sed rerum ab Aurelio narratarum modo maiorem modo minorem multitudinem suum in usum, interdum verbis tenus, convertisse eisque alias addidisse, quas nos partim apud ceteros scriptores disiectas, partim alio loco nullo legimus. Vides iam huius epitomatoris usum abhorrere a consuetudine ceterorum eiusdem generis scriptorum.

Librum autem de Caesaribus sic in Bruxellensi inscriptum vidimus p. 205: 'Aurelii Victoris historiae abbreviatae.' Quae verba miror adhuc neglecta iacuisse. Qui enim scriptores Victoris Caesares commemorant, de 'abbreviatae' additamento vel notione prorsus tacent. Itaque non immerito hinc conicitur exstitisse quondam Victoris historiam Caesarum non breviatam: vel ut statim dicam quid sentiam:

is liber de Caesaribus, qui nunc superstes est, non videtur esse historia Caesarum a Sex. Aurelio Victore conscripta, sed potius et Caesares et Epitomae capita XI priora ex illa excerpta sunt.

Si autem priorum XI capitum comparatione — nam in ceteris Epitomae auxilio destituimur — probabile fit Caesares ex ampliore illo opere breviatos esse, eo ipso evincitur totum librum excerptum esse. Quam sententiam probanti mihi ne quis obiciat, temere me eis locis usum esse, quibus scriptor de sua vita agat: talia enim facile potuisse a breviatore[8]) addi: eum praeter cetera relego ad Xiphilini exemplum, qui item, quae Cassius Dio de vita sua tradiderat, pleraque exscripsit[9]). Itaque nihil obstat, quominus illis locis utamur, praesertim cum etiam epitomator tales res, eisdem quibus breviator verbis usus, e Victore transtulerit, velut:

---

[8]) Sic enim eum appellabo, ne confundatur cum 'epitomatore.'

[9]) ut 69, 1, 3 ὁ γὰρ πατήρ μου Ἀπρωνιανός; 72, 4, 2 λέγω δὲ ταῦτά τε καὶ τὰ λοιπὰ οὐκ ἐξ ἀλλοτρίας ἔτι παραδόσεως, ἀλλ' ἐξ οἰκείας ἤδη τηρήσεως; 20, 1 ἡμεῖς μὲν οἱ βουλευταί; 23, 2 ταῦτ' οὖν ἐγὼ τὰ πρὸς ἑσπέραν ἤδη λαβών.

Caes. 8, 7: hi omnes, quos paucis attigi, praecipueque Caesarum gens adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut ni cunctis vitiis e. q. s.	Ep. 8, 6: hi omnes, quos paucis attigi, praecipue Caesarum gens adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut ni cunctis vitiis e. q. s.

Cf. Caes. 11, 12 et Ep. 11, 15.

Comparationem autem singulorum capitum sic instituemus, ut ea iuxta ponamus, quae breviator et epitomator eadem tradant; indagemus, quos fontes secutus esse videatur Aurelius; quaeramus, num forte epitomator quaedam ipse addiderit et haec unde sumpserit. Nam de fontibus suis neque breviator neque epitomator diserte quidquam tradidere. Quod autem uterque non raro de auctorum dissensu significat a se reperto, id plerumque non aliud valet nisi in ipso fonte talem dissensum adnotatum fuisse. Ita legimus Caes. 9, 6 et Ep. 9, 7 'quidam putant'; Caes. 5, 8 'plures habent'; 14, 8 'alii volunt . . . . . . nos relinquemus'; 20, 10 'plures putant'; 20, 33 'putant memoriae curiosi'; 22, 3 'repperimus'; 29, 5 'plerique ferunt'; 38, 4 'quidam referunt'; 39, 47 'plures volunt'; 39, 48 'aliis alia aestimantibus'. In Epitome eiusdem generis haec sunt: 1, 27 'alii scribunt'; 5, 2 'quidam prodidere'; 13, 2 'qualem vix aegreque exprimere valuerint summorum scriptorum miranda ingenia'; 31, 2 'ferunt'; 34, 1 'plerique putant'; 35, 1 'quidam ferunt'; 41, 11 'ut putant'; 45, 9 'plures retulere'; 48, 4 'scripta veterum docent'.

Cap. I. Octavianus Augustus.

Quae de Augusto tradunt breviator et epitomator, ita comparata sunt, ut omnia ad Victorem referre liceat. In his tamen quaedam sunt eiusmodi, quae nullo modo e Caesaribus qui superstites sunt haurire epitomator potuerit, sed quae ab epitomatore potius habere breviator videatur. Vnde consequitur ab utroque eundem librum pleniorem i. e. Victorem exscriptum esse. Caes. 1 Caesar Octaviani avunculus magnus vocatur, Ep. 2 maior avunculus. Iam cum constet[10]) 'maior avunculus' voces interdum idem significare quod 'a. magnus', numquam autem 'a. magnus' idem quod 'a. maior', apparet Victorem scripsisse 'maior avunculus', praesertim cum Suetonius Aug. 7 p. 40, 27[11]) idem praebeat. Caes. 4 'ad somnum intemperanti' et Ep. 22 'aliquatenus vero somni absti-

---

[10]) de quo, ne plura, vide lexicographos.

[11]) editionis Rothianae, quam semper sequor.

nens' (ut Suet. Aug. 78 p. 73, 3) etiamsi inter se dissentire videantur, tamen eo reconciliantur, ut ab Aurelio statuamus uberiorem illum locum Suetonii p. 73, 3—12 ('sic quoque saepe indigens somni') fortasse neglegentius excerptum, a breviatore autem non satis intellectum esse.

Ceterum pleraque, quae hoc capite narrat, Victor e Suetonio hausit. Quem primarium eius fontem esse iam dudum intellectum est, ut recte Rothius[12]) dixerit interdum Victoris verba adhiberi posse ad Suetonii textum corrigendum. Hoc quoque in capite vide quam illi congruant:

Suet. Aug. 18 p. 45, 29: Aegyptum in provinciae formam redactam ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet, fossas omnis, in quas Nilus exaestuat, oblimatas longa vetustate militari opere detersit.	Ep. 4: regionem Aegypti, inundatione Nili accessu difficilem, in provinciae formam redegit: quam ut annonae urbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit.

Cf. Ep. 11 et Suet. Aug. 25 p. 48, 35; Ep. 12 et Suet. Aug. 25 p. 49, 1; Ep. 17 et Suet. Aug. 84 p. 75, 10; Ep. 19 et Suet. Aug. 28 p. 50, 38. Cum autem eorum locorum, quibus eadem fere verba communia sunt, multo maior numerus in Epitome reperiatur, in eam incidi coniecturam, ut talia ab epitomatore ipso esse addita, non ab Aurelio iam e Suetonio hausta mihi persuaserim. Non nulla quidem non satis accurate excerpta sunt, ut Caes. 6 'vivo templa' e Suet. Aug. 52 p. 62, 15; Ep. 13 'propraetor', quem ducem appellat Suet. Aug. 23 p. 47, 22; Ep. 22 'XII catamiti totidemque puellae' coll. Suet. Aug. 70 p. 69, 17. Alia autem aliunde fluxerunt, ut Caes. 1 'illectis per dona militibus atque annonae curandae specie vulgo' conveniunt in Taciti Ann. 1, 2 'militem donis, populum annona pellexit.' Alia apud Dionem redeunt: cf. de victoria de Getis et Bastarnis reportata Ep. 7 cum Dione 51, 23—24 et 26 (quo adde Velleium 2, 59 et Livii per. 134); Ep. 27 culpa mortis Augusti, ut 'alii scribunt', in Liviam confertur cum Dione 56, 30; ibidem in eandem culpa relegati Agrippae cum Taciti Ann. 1, 3 (aliter Suet. Aug. 65 p. 66, 33); Ep. 7 Cattorum mentio fit etiam apud Florum 2, 30 (inde apud Oros. 6, 21). Quas res singulas nemo contendet a Victore ex eis, apud quos nunc dispersae exstant, scriptoribus miro cum studio promiscue esse collectas: immo veri simillimum

[12]) in adnotatione critica ad Suet. p. 195, 38; 234, 4; 238, 6.

est illa omnia eum in uno fonte repperisse, sive eo quem illi quoque scriptores secuti sunt, sive alio quodam qui ex eisdem, quibus illi, auctoribus pependerit. Cui fonti ea quoque tribuemus, quae tantum hic legi videantur, ut quae Caes. 7 et Ep. 9 de Garamantum[13]) et Bactrorum (vel Aethiopum) legationibus narrantur; item eas narratiunculas quae leguntur Ep. 11; 28[14]); 29—30. Certo autem indagari, ad quemnam scriptorum vel ipsum vel per alium quendam haec res redeant, vix poterit: cogitare licet de Aufidio Basso[15]), quo Cassiodorum usum esse Mommsenus[16]) demonstravit. Cui coniecturae illud quidem non repugnat, quod inter Victorem et Cassiodorum neque dissensus intercedit, et annorum, quibus regnaverit Augustus, numerus apud utrumque idem legitur, quamquam accuratius apud Cassiodorum est 'quinquagesimo sexto semis' (item ut apud Suet. Aug. 8 p. 41, 14).

Cap. II. Tiberius.

Comparatis inter se Caes. 1 'his saepe simulando infensus, quae maxime cuperet et insidiose deditus, quae odio erant' et Ep. 4 'simulans ea se velle, quae nollet; his quasi infensus, quibus consultum cupiebat, his vero, quos oderat, quasi benevolens apparens' mihi certum videtur his in rebus narrandis Victorem 'quibus' forma esse usum, quam breviator pro neutro, epitomator pro masculino habuerit. Aliter enim 'quae odio erant' et 'quos oderat' oriri non potuerunt. Similem in modum accuratius Aurelius exscriptus est Ep. 9 'cum insontes et' (sic codices) 'noxios, suos pariter externosque puniret', quam Caes. 1 'puniens insontes, suos pariter externosque'; talia enim, quae sermonis concinnitas postulat, addi non solent. Ac Caes. 3 quoque 'direpta pleraque iuris romani' ex Ep. 9 'Armenia per Parthos, Moesia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a finitimis

---

13) Garamantes sub Augusto victos esse apparet e Flor. 2, 31 (cf. Monumentum Ancyranum ed. Momms. p. 119), itemque Aethiopes e Mon. Anc. 5, 22 p. LXXX, Dione 54, 5, Plinio Nat. hist. 6, 181.

14) Nisi potius statuerimus hoc de Augusto iudicium perperam esse a Septimio Severo, de quo plerumque narratur, in illum translatum: cf. Caes. 20, 7; Spartianum Sev. 18, 7.

15) De quo vide Harlessium 'de Fabiis et Aufidiis' p. 49, Knabium 'de fontibus historiae imperatorum Iuliorum' p. 23, Nissenum Musei Rhen. t. XXVI p. 499.

16) 'Die Chronik des Cassiodorus' p. 558.

gentibus direptae sunt', id est e Victore videntur excerpta, vix autem haec Victoris verbis illustrandis addita. Aliis in rebus Aurelio uterque verbis tenus usus est, ut Caes. 3 'solutis[17]) militiae artibus' et Ep. 9 'resolutis militiae artibus'; item Caes. 3 et Ep. 8.

Pleraque apparet e Suetonio deducta esse, nisi quod non nulla non ad certum quendam locum spectant, ut Caes. 1 et Ep. 4 morum descriptio. Alia autem eidem non debentur, ut Caes. 1 'subdolus et occultior' coll. Tac. Ann. 6, 57 'occultum ac subdolum'; 2 'dum urbes et conventus exsecratur' coll. Tac. Ann. 4, 67 'perosus municipia et colonias', quibus eadem causa, cur Capreas Tiberius se contulerit, traditur; Ep. 6 'atrociter explorans' e. q. s. explicantur eis quae habet Tac. Ann. 1, 11—13 (cf. Dion. 57, 2); ad Ep. 8 'Marobodunm Suevorum regem callide circumvenit' cf. Tac. Ann. 2, 26 'Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum'. Qui loci, quippe qui et in Caesaribus et in Epitome cum eodem congruant scriptore (unde tamen ipsum Tacitum a Victore esse lectum vix contenderim), quam maxime docent utrumque libellum ex uno fonte descriptum esse. Quae Caes. 1 et Ep. 4 de Tiberii dissimulatione traduntur, referenda sunt ad Dion. 57, 1, 1—2 (= Zon. 11, 1).

Alia autem sunt, quae hic tantum exstare videntur, ut quae de Gaetulorum[18]) latrociniis Caes. 3 et Ep. 8, item quae Ep. 9 de Pannonia a Sarmatis direpta leguntur (cf. Suet. Tib. 41 p. 103, 29 'Moesia a Dacis Sarmatisque'). In Ep. 10 Tiberio tribuuntur septuaginta octo[19]) anni et menses quattuor, Caes. 3, 1 octoginta uno minus: quorum alter numerus, quippe qui sit rotundus, e priore (i. e. e Victore) fluxit; octo tantum et septuaginta annos ei tribuunt Suetonius Tib. 73 p. 117, 3, Tacitus Ann. 6, 56, Eutropius 7, 11; LXXVII annos IV menses VII dies Dio 58, 28, 5 (= Zon. 11, 3): ut appareat hoc de numero Aurelium errasse (cf. Peteri Hist. rom. t. III p. 230).

---

[17]) Quod verbum ipsum ex Epitome in 'resolutis' corrigendum censet Maehlyus Nov. Ann. phil. t. LXXI p. 264. Non raro enim ex Epitome Caesares emendari posse iam dudum intellectum est: v. quem infra subiciemus excursum I.

[18]) Quare Caes. 3 Schotti correctio 'Tacfarinate' scribentis pro 'de Farnace' incerta est, quippe quem Numidam vocet Tacitus Ann. 2, 52; 3, 20; 73; 4, 23.

[19]) Codicum enim scriptura 'octogesimum octavum' ex Hist. misc. p. 182, 3 Eyss. corrigenda est.

Cap. III. Caligula.

Hac in vita saepius eisdem verbis utitur uterque, velut:

Caes. 4: quia natus in exercitu, unde cognomentum calceamento militari quaesiverat, legionibus carus acceptusque habebatur.	Ep. 3: quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calciamenti militaris i. e. Caligula (sic codd.) sortitus est . . . . . . omnibus carus acceptusque fuit.

Cf. Caes. 10 et Ep. 5. Qui autem dissensus inter Caes. 13 'his elatus dominum dici atque insigne regni capiti nectere tentaverat' et Ep. 8 'primus diademate imposito dominum se iussit appellari' intercedere videtur, eo tollitur, quod epitomator Victoris verbis, quae rursus non accurate e Suet. Cal. 22 p. 128, 17 descripta sunt, neglegentius usus est [20]).

Ceterum hic quoque longe plurima Suetonio debentur, velut:

Cal. 13 p. 124, 9: exoptatissimus . . . . . . universae plebi urbanae ob memoriam Germanici patris miserationemque afflictae domus.	Caes. 1: aventibus cunctis deligitur maiorum gratiae parentisque.

Cf. Suet. Cal. 15 p. 125, 23 et Caes. 8; Cal. 19 p. 127, 12—20 et Ep. 9. Non nulla paululum in maius sunt conversa, ut Caes. 9. Alia autem alteri fonti (fortasse Aufidio) tribuenda sunt: velut quae Caes. 4 et Ep. 2 de Caligulae cognominis origine (de qua fere prorsus tacet Suet. Cal. 9 p. 122, 26) traduntur, congruunt cum Tac. Ann. 1, 41, Dione 57, 5, 6, Ausonio Caes. 4. Item quae Caes. 10 et Ep. 5 de deorum quasi imitatione leguntur, redeunt apud Dionem 59, 26, 5 (= Zon. 11, 7): ita ut idem utrique fons praesto fuerit necesse sit:

Ζεύϲ τε εἶναι ἐπλάττετο, καὶ κατὰ τοῦτο καὶ γυναιξὶν ἄλλαιϲ τε πολλαῖϲ καὶ ταῖϲ ἀδελφαῖϲ μάλιϲτα ϲυνεῖναι προεφαϲίϲατο.	Caes. 10: quin etiam sororum stupro ac matrimoniis illudens nobilibus deorum habitu incedebat, cum Iovem se ob incestum . . . . . . assereret = Ep. 4—5: denique tres sorores suas stupro maculavit: incedebat habitu deorum. . . . . se asserebat;

de Libero prorsus tacet Dio. Item 'spolia caelestium' quadrant in Dion. 59, 25; idemque 59, 3, 6 (= Zon. 11, 4) de tribus

[20]) Id inde quoque apparet, quod Ep. 35, 5 de Aureliano tradit 'iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit', et 41, 14 de Constantino 'caput exornans perpetuo diademate': cf. Polemii laterculum ed. Momms. (in Actis soc. litt. Sax. t. II) p. 275 cum adn. 4.

sororibus stupratis loquitur ut Epitome 4[21]). Apud unum Victorem exstare videntur quae Caes. 12 de cultu Venerio in expeditione Germanica exercitato leguntur.

Cap. IV. Claudius[22]).

In rebus Claudii narrandis etiam saepius uterque Victoris vestigia pressit, ut Caes. 3, 17 et Ep. 4, 2 'quia vecors erat, mitissimus videbatur imprudentibus'; Caes. 4, 7 et Ep. 4, 5 'dehinc atrocius accensa nobiliores quasque nuptas et virgines scortorum modo secum prostituerat' (Ep. 'proposuerat') 'coactique mares uti' (Ep. 'ut') 'adessent'. Adde Caes. 2 et Ep. 5; Caes. 8 et Ep. 7; Caes. 11 et Ep. 5; Caes. 12 et Ep. 6; Caes. 14 et Ep. 9; Caes. 15 et Ep. 11—12. Verba autem Caes. 1 'quamquam ventri foede oboediens, vecors iuxta atque immemor, pavidusque animi et ignavior esset' potius ex Ep. 3 'hic ventri vino libidini foede oboediens, vecors et prope hebes, ignavus ac pavidus' exscripta esse videntur (quod nihil aliud sibi vult nisi Aurelium ab utroque excerptum esse), quam eo nos ducere debent, ut epitomatorem statuamus 'vino libidini' verba ex Suet. Claud. 33 p. 164, 12 et 22, 'prope hebes' e Claud. 2 p. 148, 27 addidisse. Idemque cadit in Caes. 12 'uti senex fratris filiam in nuptias concupisceret' et Ep. 10 'hic Agrippinam Germanici fratris sui filiam uxorem duxit.' Nec minus Caes. 3 'annonae egestas, quam Caligula, dum adactis toto orbe navigiis . . . . . . contendit' postulant, ut accurata eius rei mentio antea facta credatur, quam habes Ep. 3, 9.

Huius quoque capitis primarius fons est Suetonius, ut:

Claud. 16 p. 155, 23: recognitione equitum iuvenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit habere dicens censorem suum.	Caes. 4: cum lascivum adulescentem, quem sibi probatum pater adseruerat, retinuisset, censorem et liberis patrem debere esse recte adiecerat.

Cf. praeterea Suet. Claud. 28 p. 163, 2 et Ep. 8. Rursus quaedam ultra modum aucta sunt, ut Caes. 12 et Ep. 6; Caes. 4, 5.

Aliis autem in rebus consensus apparet cum Tacito, ut Caes. 15 et Ep. 12 de custodibus cum Annal. 12, 68; Caes. 2 de

[21]) Quis autem contendet hunc numerum ab epitomatore esse additum, nec potius a breviatore omissum!

[22]) Cui capiti ea quoque adicienda sunt, quae inde a Caes. 3, 16 de Claudio leguntur.

Danubio et Rheno cum Ann. 11, 19 et 12, 30; Caes. 10 de Messalinae morte ignaro Claudio facta cum Ann. 11, 37; Caes. 11 de nuptiis a Messalina Romae celebratis cum Ann. 11, 26 (cf. Dion. 60, 31, 4). Qualia non e Tacito ipso, sed ex eius fonte, quamvis per alium, fluxisse iam supra significavi. Idemque ad ea pertinet, quae Dioni et Aurelio sunt communia: cf. Caes. 2 et Ep. 4 de Mauris cum Dione 60, 9, 5, qui tamen de Iuba tacet; Caes. 8 et Ep. 5 de suppliciis eorum, qui Messalinae crimina horruerant, cum Dione 60, 14, 3; 27, 4 (= Zon. 11, 9); Caes. 14 et Ep. 9 de insula cum Dione 60, 29, 7, Seneca Quaest. nat. 2, 26. In Caes. 3 et Ep. 9 Phoenicem avem octingentesimo urbis anno in Aegypto apparuisse tradit Aurelius, ut Plinius Nat. hist. 10, 5 (inde Solinus 33, 14, v. Momms. p. 253): 'adlatus est et in urbem Claudi principis censura anno urbis DCCC, et in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitaret.' Anno autem p. Chr. 34 eum visum esse narrat Tacitus Ann. 6, 34, anno 36 Dio 58, 27, 1 et Plinius.

Non paucarum autem rerum apud nullum alium scriptorem vestigia indagavi, ut quae Caes. 2 et Ep. 5 de Musulanis, Caes. 6—8 et Ep. 5 de Messalinae flagitiis, Caes. 3, 16 de Caesarum muliebri sexu exstinguendo, Caes. 4, 13 de Agrippinae absurditate narrantur. Victori ipsi is error imputandus videtur, quo Claudium pro Tiberio Titum vocat Caes. 3, 16: 'Titum Claudium' et Ep. 4, 1 'Claudius Titus' (sic codices et Hist. misc. p. 185, 2 [23]). Prorsus autem inauditum est, quod Ep. 10 Agrippina Claudio etiam tum vivo 'privignos insidiis multiformibus interemisse' dicitur. Quod tamen commodum explicatum habet, si Victorem statuimus ab epitomatore neglegenter excerptum tale quid scripsisse: '*privignos insidiis multiformibus agressa est, dehinc ipsum interemit.*'

Omnino si ea, quam de Aufidio proposui, sententia vera est, ille inde a fine huius vitae amplius inspici non potuit, quippe cuius historia in Claudii morte desiisse videatur [24]).

---

23) Vbi temere cum Grunero Eyssenhardtus mutavit ex Orosio.

24) Cf. Knabium l. s. s. p. 23, Mommsenum 'Die Chronik des Cassiodorus' p. 558, Nipperdeium Musei Rhen. t. XVII p. 438 et praef. ad Tac. p. XXII.

Cap. V. Nero.

Loci, quibus epitomator paulo copiosius res ennarat, ita tamen ut eae non ab ipso auctae videantur, sed a breviatore mutilatae, hi sunt quos adscripsi. Ep. 1 Neronis pater 'Domitius Aenobarbus' vocatur, Caes. 1 tantum 'Domitius'; Ep. 6 seditionis et Galbae et Iulii (Vindicis) mentio fit, Caes. 15 unius Galbae; Caes. 16 Sporus spado significatur tantum, nominatim dicitur Ep. 7. Item pro certo affirmare audeo, quae Caes. 16 de Neronis morte narrantur, exscripta esse ex Ep. 7 (i. e. e Victore), non autem Victoris verba 'cum implorans percussorem diu ne ad mortem quidem meruisset cuiusquam officium' ab epitomatore illis narratiunculis esse illustrata. Ea quoque dissensio, quae exstare videtur inter Caes. 2 'cum dominatum parem annis vitrico gessisset' (qui anni e Caes. 4, 14 et Ep. 4, 1 XIV sunt) et Ep. 1 'imperavit annos XIII[25])', prorsus nulla est, si ad Victorem redimus, quem non XIV annos scripsisse apparet, sed annos XIII et VII (vel VIII) menses[26]). Vnde suo iure breviator pares annos utrique imperatori tribuit, minus accurate epitomator Neroni tantum XIII. Cui sententiae non obstat, quod Suetonius Ner. 40 p. 190, 24 de annis paulo minus XIV loquitur; nam etiam Ep. 2, 10 vidimus regni annos accuratius tradi quam apud Suet. Tib. 73 p. 117, 3: cf. supra p. 214. Quae Ep. 5, 5 leguntur 'Octaviam et Sabinam in matrimonium duxit viris earum trucidatis', per se falsa sunt, cum constet Silanum, cui Octavia antea tantum desponsa erat, iam a Claudio interfectum (Suet. Claud. 29 p. 163, 14), Othonem autem Poppaeae maritum per causam legationis in Lusitaniam esse sepositum (Suet. Oth. 3 p. 210, 24). Recte tamen res se habet, si Victorem ponimus (similiter atque Suet. Ner. 35 p. 187, 6—10) etiam Messalinae mentionem fecisse, cuius maritum Vestinum consulem in ipso honore Nero trucidavit, id autem neglexisse epitomatorem. Permulta autem in hoc capite eisdem verbis e Victore transtulit uterque: Caes. 7 et Ep. 5 'pelle tectus ferae utrique sexui genitalia vultu contrectabat'; pariterque Caes. 16 et Ep. 7; Caes. 2 et Ep. 2 et 4; Caes. 4 et Ep. 5; Caes. 5 atque 8 et Ep. 5.

---

[25]) Nam XIII¦ quod codex optimus Gudianus 84 habet, ex archetypo correctum est: cf. quae disputabuntur capitis III initio.

[26]) Cf. Dionem 63, 29, 3: ἔτη δεκατρία καὶ μῆνας ὀκτώ; Zonaram 11, 13: ἦρξεν ἔτη τρισκαίδεκα καὶ μῆνας ὀκτὼ δυοῖν ἡμέραιν δέοντας; Hieronymum p. 155: 'an. XIII mens. VII d. XXVIII.'

Ceterum harum quoque rerum narratio plerumque e Suetonio pendet, cuius verba interdum paululum exornata sunt, ut Ep. 9 coll. cum Suet. Ner. 57 p. 197, 36. Tum Ep. 8 Persae cum Parthis confunduntur[27]) (v. Suet. Ner. 57 p. 198, 8). Adde

Ner. 49 p. 195, 30: quaeri ut puniatur more maiorum .... et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi e. q. s.	Ep. 7: senatusque sententia constitutum, ut more maiorum collo in furcam coniecto virgis ad necem caederetur.

Adde Ep. 7 et Suet. Ner. 49 p. 195, 38. Apud Tacitum autem Ann. 15, 37 redeunt, quae Caes. 5 et Ep. 5 de Neronis nuptiis exponuntur; Iulii Vindicis 'C.' praenomen (Ep. 6) praebet etiam Zonaras 11, 13; epitheta novarum provinciarum 'Polemoniacus' et 'Cottiae' (Caes. 2 et Ep. 4) norunt etiam Eutropius 7, 14 (Hier., Cass.) et Vopiscus Aur. 21, 11. Alias res uni Victori debemus, ut Caes. 2 et Ep. 2 Traiani de Nerone dictum, tum quod Caes. 16 et Ep. 7 Neronis trepidantem manum Sporus adiuvisse dicitur, Epaphroditus apud Suetonium Ner. 49 p. 196, 5 et Dionem 63, 29, 2.

Iam quaerentibus, quemnam ad fontem haec additamenta sive recta sive per ambages redeant, statim praesto sunt Plinii[28]) historiae. Quae sententia, cum et Tacitus illis usus sit et idem de Dione statuendum videatur, probabilitate non caret, quamvis eam certam esse ne ipse quidem contenderim.

Cap. VI. Galba.

Hoc capite quamquam rarius eisdem uterque scriptor verbis utitur, ut Caes. 3 et Ep. 4, tamen nihil obstat quominus omnia ad Aurelium referamus. Omnia autem praeter unum quiddam a Suetonio sumpta sunt, partim paululum exornata ut Caes. 1 de urbis Romae vastatione, partim verbis tenus descripta ut Ep. 2 a Suet. Galb. 14 p. 205, 25 et Ep. 3 a Suet. Galb. 6 p. 202, 7.

---

[27]) Hic error, quem iam Ep. 1, 8 scriptor admisit, apud posterioris aetatis scriptores tam sollemnis est, ut semel eum notasse satis sit. Cf. Ep. 32, 5 'a Sapore *Persarum* rege superatus, mox etiam captus apud *Parthos* consenuit'; Lamprid. Alex. 56, 9 'Alexandro adclamatur «*Persice* maxime, di te servent: vere *Parthicus*, vere *Persicus*»'.

[28]) De quibus vide Nissenum Musei Rhenani t. XXVI p. 497—548 egregie commentantem.

Sed ab omnibus ceteris in eo discrepat narratio, quod Galba Caes. 3 et Ep. 1[29]) VII menses VII dies regnasse dicitur, VII menses tantum apud Suet. Galb. 23 p. 209, 5, Eutropium 7, 16 (Hier., Cass., Oros. 7, 8), IX menses XIII dies apud Dionem 64, 6, 5 et Zonaram 11, 1, 4, VIII menses XII dies apud chronographum anni 354 p. 188, 29 ed. Vrlichs (in Codice topographico urbis Romae) vel p. 646 ed. Momms. (in Act. soc. litt. Sax. t. I).

Cap. VII. Otho.

Quae Caes. 2 narrantur de Othonis 'praecognitis moribus', intellegi nequeunt, nisi iam antea his de moribus actum sit. Vnde apparet talia qualia leguntur Ep. 1 'vita omni turpis, maxime adulescentia' vel similia etiam apud Victorem antecessisse. Neque magis fieri potuit, ut Caes. 2 'Veronensi proelio' et Ep. 2 'apud Betriacum victus' alterum ex altero fluxerit, nisi statuimus Victorem significasse Betriacum prope Veronam situm fuisse (v. Tac. Hist. 2, 23 'inter Veronam et Cremonam').

Quamquam hac quoque in vita pleraque sunt Suetoniana, tamen Ep. 2 'anno aetatis XXXVII' consentit potius cum Dione 64, 15, 2, Zonara 11, 15, Tacito Hist. 2, 49, Plutarcho Oth. 18; nam Suetonius Oth. 11 p. 214, 16 et Eutropius 7, 17 XXXVIII annos ei tribuunt. Quorum numerorum priorem Plinio deberi consentaneum est, cum Nissenus l. s. s. his in rebus illum fere unum Taciti Plutarchique fontem fuisse demonstrarit. Quod tamen vix contendere licet de LXXXV diebus, quos Caes. 2 Otho regnasse traditur; nam de XCV loquuntur Suetonius Oth. 11 p. 214, 17 et Eutropius 7, 17, de XC Dio 64, 15, 2, Zonaras 11, 15, Chron. p. 189, 1, de III mensibus Ep. 1, Orosius 7, 8, Plutarchus Oth. 18. Prorsus autem falsum est, quod Ep. 2 Otho apud Placentiam victus dicitur, cum omnes consentiant illic ab Othone victoriam esse reportatam: v. Suetonium Oth. 9 p. 213, 11, Tacitum Hist. 2, 22, Plutarchum Oth. 7, Orosium 7, 9.

---

[29]) Inter utrumque scriptorem ea semper exstat diversitas, quod epitomator regni annos numquam (praeter c. 26) omittit eosque fere semper in capitum principiis ponit (praeter c. 1; 33; 40; 42; 43), breviator autem eos partim addit, nec tamen certo loco, partim omittit. Apparet igitur certo consilio Victorem regni annos, quamquam non in ipso principio, tradidisse, epitomatorem constantius eum ipsum illis locum tribuisse.

Cap. VIII. Vitellius.

Hoc capite duae inter Caesares et Epitomen discrepantiae intercedere videntur. Etenim Caes. 5 Sabinus una cum Capitolio igne cremato interiisse dicitur (ut apud Suet. Vit. 15 p. 222, 5), Ep. 4 autem in Gemoniis confossus esse (ut apud Tac. Hist. 3, 74; 85). Cum autem prior narratio ad Suetonium redeat, altera ad Plinium, constare autem videatur Victorem utroque (quamquam aliis fortasse intercedentibus) esse usum, facile fieri potuit, ut utramque narrationem additis 'ut quidam volunt' verbis vel similibus tradiderit, breviator autem alteram, alteram epitomator adsciverit. Altera porro dissensio, quae est inter Caes. 6 'annos natus septuaginta et quinque amplius' et Ep. 5 'quinquaginta septem', eo tollitur, quod priore loco cum Schotto 'quinquaginta et septem' scribendum est, quod habes etiam apud Tacitum Hist. 3, 86, Suetonium Vit. 18 p. 223, 10, Eutropium 7, 18. Certo autem ad unum fontem, i. e. Victorem, redeunt Caes. 6 et Ep. 3—5, quae sic comparata sunt, ut prior alterum exscripsisse videatur. Ceterum eadem verba exstant Caes. 6 et Ep. 4, Caes. 7 et Ep. 6.

Res autem narratae tantum non omnes e Suetonio haustae sunt: cf. Suet. Vesp. 6 p. 228, 24 cum Caes. 3, Vit. 17 p. 222, 34 cum Ep. 3. Nisi quod Caes. 5 de foedere inter Sabinum et Vitellium icto non satis accurate illum expressit Aurelius, nam talia, quae diserte respondeant verbis 'arbitris militibus' et 'circumventus' a Suet. Vit. 15 p. 221, 35 absunt. Neque tamen necesse est de alio fonte cogitemus. De eo autem certamine, quod Ep. 3 sub muris urbis commissum esse scriptor memorat, ceteri tacent.

Cap. IX. Vespasianus.

Qui inter Caes. 11 'bello rex Parthorum Vologeses in pacem coactus' et Ep. 12 'solo metu' exstat dissensus, quamvis facile tollatur, si conicias Victorem scripsisse 'brevi bello vel metu solo', tamen pro certo quidquam affirmare eo minus audeo, quod ceteri prorsus contrarium tradunt: a Vologese Vespasianum in occupando imperio esse adiutum. Multo autem confidentius dicere licet de eis monumentis[30]), quae Caes. 7 et Ep. 8 a Vespasiano

[30]) Iniuria Beckerus Ant. rom. I p. 374 negare videtur a Vespasiano

vel incohata vel reparata esse tradit uterque. Tantum enim abest ut epitomator Victoris verbis aliunde 'reparavit' illud addiderit, ut procul dubio ea voce iam usus sit Victor: apparet enim ex verbis Epitomae 'multaque nova instituit' distinxisse illum nova opera a reparatis. Cum autem Capitolium solum reparatum sit, (v. Suet. Vesp. 8—9 p. 230, 21—32 et Euseb. Chron. p. 158 ed. Schoen.), evincitur reparandi verbum a Victore ante 'Capitolium' positum, a breviatore omnino omissum esse, ad proxima quoque tractum ab epitomatore. Alia autem rursus verbis tenus transcripta sunt, ut Caes. 10 et Ep. 11 'mille gentes compositae, cum ducentas aegerrime repperisset, exstinctis saevitia tyrannorum plerisque'; item Caes. 2 et Ep. 5, Caes. 5—6 et Ep. 6—7, Caes. 7—8 et Ep. 8—10, Caes. 11 et Ep. 13.

Res autem pleraeque a Suetonio sumptae sunt, quamvis verbo tenus ab epitomatore tantum, ut

Vesp. 14 p. 232, 2: Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit dotavitque etiam.	Ep. 2: adeo ut Vitellii hostis ('sui' om. codd.) filiam locupletissime dotatam splendidissimo coniungeret viro;

pariterque Vesp. 13 p. 231, 28 et Ep. 4, Vesp. 8 p. 230, 19 et Ep. 8, Vesp. 14 p. 232, 9 et Ep. 14, Vesp. 21 p. 234, 2 et Ep. 15. Itaque, quod iam supra (p. 212) significavi, talia fortasse ab epitomatore ipso addita sunt, quamvis non negaverim eum haec quoque per Aurelium posse Suetonio accepta referre.

Alia autem aliunde petita videntur. Ita Caes. 5 et Ep. 6 'quodque vehementius est, vitae specie, vitiorum plura aboleverat' quadrant in Tac. Ann. 3, 55 'praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque.' Non pauca apud ceteros me legere non memini, ut quae Caes. 1 et Ep. 16 de Vespasiani facundia, Caes. 10 et Ep. 11 de mille gentibus exstant. Plinio autem num omnino hoc capite usus sit scriptor, pro certo definiri nequit, quoniam, quem usque ad annum ille historias suas produxerit, nescimus.

Quam autem arte Suetonii vestigia non raro ab Aurelio pressa sint, luculentissime ex his apparet Caes. 6 et Ep. 7: 'infirmus tamen, ut quidam prave putant, adversus pecuniam cum satis constet' e. q. s.: quibus verbis cum fontium dissensum se repperisse significare videatur, tamen nihil nisi Suetonium exscripsit,

etiam forum quoddam (Caes. 7) esse incohatum, quippe cuius mentionem faciat etiam Symmachus ep. 10, 78: cf. Vrlichsium ad Chron. p. 189, 10.

quamquam conexu sententiarum paululum immutato; vide enim Vesp. 16 p. 232, 24 'sola est, in qua merito culpetur pecuniae cupiditas'; p. 233, 1 'sunt contra, qui opinentur ad manubias et rapinas necessitate compulsum summa aerarii fiscique inopia'; p. 233, 5 'quod et veri similius videtur, quando et male partis optime usus est.'

Cap. X. Titus.

Hoc caput eiusmodi est, ut praeter pauca fere omnia, quae in Caesaribus sunt, ex Epitome manare potuerint: unde conicere licet, qualis fere forma huius capitis apud Victorem fuerit. E Caes. 3 'gladiatoris' et Ep. 10 'mirmillonum' apparet Aurelium posteriore voce usum esse, quippe cui gladiatorum certum genus significanti prior explicandi causa sit supposita. Idem cadit in Caes. 6 et Ep. 16 ubi 'urbi provinciisque' Victoris verba sunt, a breviatore in breviorem formam 'provinciis' redacta. Quae autem dissensio est inter Caes. 5 'veneno interiit' (ut Euseb. p. 160) et Ep. 15 'febri interiit' (ut Suet. Tit. 10 p. 240, 32; 'morbo' Eutr. 7, 22, Euseb. p. 158, Malalas p. 260 ed. Bonn.), eo conciliatur, quod Victor utramque memoriam plane eodem modo sociavit quo Dio 66, 26, 2 (cuius fonte Victorem vel eius fontem usum esse iam saepius vidimus) cum Zonara 11, 18: μετήλλαξεν, ὡς μὲν ἡ φήμη λέγει, πρὸς τοῦ ἀδελφοῦ ἀναλωθείς, ὅτι καὶ πρότερον ἐπεβεβούλευτό ὑπ' αὐτοῦ, ὡς δέ τινες γράφουσι, νοσήσας. Alia autem discrepantia meo quidem iudicio simili via expediri nequit: quae quidem intercedit inter Caes. 5 'ita biennio post ac menses fere novem' (cf. Eutr. 7, 22 'post biennium menses VIII dies XX') et Ep. 1 'annos duos et menses duos diesque viginti' (ut Suet. Tit. 11 p. 241, 5, Dio 66, 18, 4. 26, 4, Zon. 11, 18). Quae discrepantia duobus modis oriri potuit. Aut enim Victor eundem quem Eutropius numerum scripsit: tum statuendum est epitomatorem suum numerum aliis cum rebus e Suetonio hausisse. Aut Victor et breviator verum posuere numerum: tum a lectore aliquo alter numerus ex Eutropio vel potius ex Hist. misc. p. 201, 6[31]) in margine adscriptus genuinum loco suo pepulit. Quod diiudicare non audeo. Facillime autem

[31]) Quae sententia admodum eo adiuvatur, quod in codice Bruxellensi non pauca additamenta ex Historia miscella Viris illustribus adscripta in textum irrepserunt.

inter se conciliantur hi numeri: Caes. 5 'pater anno septuagesimo' et Ep. 9, 17 'annum agens vitae absque uno septuagesimum', cum Victor Suetonii verbis Vesp. 24 p. 235, 23 usus sit 'annum agens aetatis sexagesimum ac nonum superque mensem ac diem septimum'; item Caes. 5 'anno aevi quadragesimo' et Ep. 15 'quadraginta unum', quamquam Suetonius Tit. 11 p. 241, 6, Eutropius 7, 22, Dio 66, 18, 4, Eusebius p. 158, Malalas p. 262 Tito XLII annos tribuunt. Ceterarum rerum narrationes apud utrumque eaedem sunt, ut Caes. 1 et Ep. 3 'incredibile est quantum, quem imitabatur, anteierit'; Caes. 2 et Ep. 8, Caes. 3—4 et Ep. 10, Caes. 6 et Ep. 16.

Longe plurima rursus Suetonio debentur: cf. Tit. 3 p. 236, 20 cum Ep. 2, Tit. 6 p. 238, 3 cum Ep. 4, Tit. 7 p. 238, 19 cum Ep. 5, Tit. 7 p. 238, 21 cum Ep. 6, inprimis autem

Tit. 8 p. 238, 37: cum . . . . . . omnes dehinc Caesares beneficia a superioribus concessa . . . . . primus omnium omnia uno confirmavit edicto nec a se peti passus est.	Caes. 2: cum concessa per priores principes firmari ab insequentibus mos esset . . . . . . talia possidentibus edicto sponte cavit prospexitque. — Ep. 8: cum donata concessave a prioribus principibus firmare insequentes solerent . . . . . . talia possidentibus edicto sponte cavit.

Certum est autem e Suetonio non haustam esse eam narratiunculam quae Caes. 3 et Ep. 10 legitur, quippe quam ille minus accurate tradiderit. Alii fonti etiam causa tribuenda est, qua occisus esse Caecina dicitur (Ep. 4); quis autem iste fuerit, definire non audeo.

Cap. XI. Domitianus.

Quod attinet ad Caes. 5 'segnisque ridicule remotis procul omnibus muscarum agmina persequebatur, postquam ad libidinem minus virium erat, cuius foedum exercitium Graecorum lingua κλινοπάλην vocabat; hincque iocorum pleraque: nam percunctanti cuidam, quisquamne in palatio esset, responsum: ne musca quidem, nisi forte apud palaestram', et Ep. 6 'segnisque ridicule . . . . persequebatur. furens libidine cuius foedum exercitium κλινοπάλην vocabat; hinc . . . . ne musca quidem', de his consentaneum est ita iudicare, ut uterque in Victoris codicem aliquem iam corruptum incidisse credatur. Statim enim apparet primam et tertiam enuntiationem inter se cohaerere, sed miserum

in modum eas divulsas esse[32]). Media autem enuntiatio, ita conformata qualem praebet Epitome, apud Victorem sequebatur hanc narratiunculam. Iam cum librarii alicuius culpa enuntiatorum illa confusio orta esset, breviator aliquo modo ea inter se coniungere tentavit. Sic orta sunt verba 'postquam . . . . . . minus virium erat.' Epitomator autem, codicis vitio fortasse ne intellecto quidem, verba sola descripsit, qualia fere Victor ex Suet. Dom. 22 p. 253, 19 sumpserat: 'libidinis nimiae, assiduitatem concubitus velut exercitationis genus clinopalen vocabat.' Victori autem ipsi talem neglegentiam tribuendam esse ne inde quidem vere simile fit, quod prior narratio apud Suet. Dom. 2 p. 242, 33, altera Dom. 22 p. 253, 19 legitur. Sed utut hac de re iudicabimus, hoc esse certum videtur, epitomatorem suum illud 'furens libidine' e Caesaribus haurire non potuisse. Simili modo Paridis histrionis nomen, quod legitur Ep. 11, omittitur Caes. 7, iam apud Aurelium exstabat. Idemque cadit in Ep. 15 'quid enim Nerva prudentius aut moderatius? quid Traiano divinius? quid praestantius Hadriano?' et Caes. 12, 1 'quid enim Nerva Narniensi prudentius magisque moderatum?' : priora enim verba tam continuo ordine procedunt, ut potius iudicium de Traiano et Hadriano breviator neglexerit, quam e suo addiderit epitomator. Alia autem uterque pari modo exscripsit, ut Caes. 3 et Ep. 2 'primo clementiam simulans neque adeo iners domi belloque tolerantior videbatur'; Caes. 2 et Ep. 6 (ubi 'more Caligulae' ipsius est additamentum); Caes. 8 et Ep. 13; Caes. 12—13 et Ep. 15. Minus autem accurate dictum est, quod Ep. 2 Cattos Germanosque[33]) Domitianus devicisse dicitur, verius Caes. 4 Dacos et Cattos (cf. Suet. Dom. 6 p. 244, 27).

Suetoniana sunt, quae narrantur, longe plurima: cf. Dom. 23 p. 253, 28 cum Caes. 9; Dom. 20 p. 253, 1 cum Ep. 4. Falsum tamen est quod Ep. 11 'Clodianus ob fraudem interceptae pecuniae supplicium suspectasse' dicitur, cum Suetonius

---

[32]) Qua de re dubitari non posse docet Suet. Dom. 3 p. 242, 33: 'nec quicquam amplius quam muscas captare' (sc. solebat) 'ac stilo praeacuto configere: ut cuidam interroganti, essetne quis intus cum Caesare, non absurde responsum sit a Vibio Crispo: ne muscam quidem'. Cf. Dionem 66, 9, 4.

[33]) Sic tamen Orosius 7, 10. Parum nota posterioribus scriptoribus fuisse talia nomina docemur exemplo Eusebii p. 160, qui de Dacis Germanisque loquitur.

Dom. 17 p. 251, 26 idem de Stephano tradat: nisi forte potius in Epitomae verbis lenissima correctione 'et Clodiano' scribendum est. L. Appii Norbani[34]) nomen Ep. 10, quod exstat etiam apud Dionem 67, 11, 1, alii fonti debetur, eidemque quae Ep. 11 de Domitiae timore exponuntur cum Dione 67, 15, 2 et Zonara 11, 19. Apud unum autem Victorem legi (Caes. 9 et Ep. 13) Domitiani corpus ut gladiatoris esse sepultum, quamvis similia tradat Suet. Dom. 17 p. 252, 7. Quae omnia quemnam ad fontem revocanda sint, definiri vix poterit.

Nunc quoniam priorem disputationis partem ad finem perduxi, paucis repetere liceat, quae demonstrasse mihi videar. Itaque cum apparuerit partim Epitomae verba ex eis qui superstites sunt Caesaribus hauriri non potuisse, ita tamen ut e toto sententiarum conexu certum sit res utroque in libello narratas ad eundem fontem redire, partim verba Caesarum ex Epitome potius exscripta videri, alia autem eisdem fere verbis apud utrumque legi, non videtur probabilitate carere haec coniectura mea: et Caesares et Epitomen ex ampliore Victoris 'Caesarum historia' excerpta esse. Cui quidem sententiae denuo moneo illud quoque favere, quod in Bruxellensi codice Caesares 'abbreviati' dicuntur. Hanc igitur rationem si veri non dissimile videbitur in Caesarum capita XI priora cadere, nihil profecto obstat, quominus totos Caesares excerptos esse statuamus, quamvis concedam de capitibus XII—XLII certis argumentis id demonstrari non posse. Quaedam tamen indicia ne hic quidem desunt. Sic capite XII nihil fere narratur nisi Nervam imperium occupasse, forum Pervium dedicasse, imperium deposuisse: dimidia fere pars totius capitis locis communibus constat. Itaque hoc caput tanto opere a ceteris differt, ut procul dubio a breviatore, cui hic ut ubique loci communes praecipue arridebant, deformatum sit. Prorsus idem iudicandum est de Antonini Pii vita (cap. XV), quae rerum narratione fere omni caret.

---

[34]) Id enim e codicum memoria 'norbanum lappium' eliciendum est, quo nomine hunc virum iam Borghesius appellavit Oeuvr. compl. t. III p. 70; V p. 72; cf. titulum Orellianum 772.

Si quis autem quaerat, quo modo factum sit ut epitomator in prioribus tantum XI capitibus Victoris Caesaribus uteretur, quamquam multis de causis cogitare licet, tamen certa quaedam indagari vix poterit. Fortasse is fons, quem inde a cap. XII exscripsit, uberior erat Aurelio (quo quidem infra revertar): ita ut illo carere posse sibi videretur.

[Reliquae partes harum quaestionum propediem edentur in F. Ritschelii Actis societatis philologae Lipsiensis. Sciendum est autem huius dissertationis paginas 3—31 respondere Actorum paginis 199—227.]



VITA

Natus sum Mauricius Theodorus Opitz Dresdae anno CIↃIↃCCCLI die XIII mens. Mart. patre Adolfo, qui ibi advocati et procuratoris fisci munere fungebatur, matre Caecilia e gente Etzler. Patrem ante hunc unum fere annum morte mihi ereptum esse non est quod dolere desinam. Fidei adscriptus sum evangelicae. Postquam inde ab anno CIↃIↃCCCLXIII gymnasium, quod est Dresdae ad aedem S. Crucis, per VI annos Kleeio et Hultschio rectoribus frequentavi, anno CIↃIↃCCCLXIX in academiam Lipsiensem transmigravi. Ibi studiis philologicis deditus per VII semestria scholis interfui quas habuerunt viri clarissimi Ahrensius Brockhausius Curtius Drobischius Ecksteinius Klotzius Langius Overbeckius Ritschelius Schoenius Schuchardtus Voigtius Zarnckius. Seminarii philologici socius ordinarius fui per annum et VI menses, per quos senioris munere functus sum. Interfui praeterea seminario paedagogico Eckstеinii, societati historicae Voigtii, antiquariae Langii. Ritschelii societatis philologae et Curtii grammaticae sodalis etiam nunc sum. Quibus omnibus viris summo opere de me meritis, imprimis autem Friderico Ritschelio, qui cum semper studia mea summa cum benevolentia fovit tum hoc in libello conscribendo consilio operaque mihi adfuit, gratias ago semperque habebo quam maximas.
